



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo exercitus decreuerit, vt eius filij Augusti vocitarentur. Cap.
LXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

sanctēque coluerit: iure sane etiam hunc honorem solus adeptus est, ut Dei voluntate, quod in eo morte sepultum erat, tamen apud homines regnaret, ut ista scilicet ratione nobis Deus significaret, animorum regnum, hiis qui non prorsus obduruerunt, nunquam consenescere, nunquam emori. Atque hæc quidem isto modo.

Quomodo exercitus decreuerit, ut eius filij Augusti vocarentur.

CAP. LXVIII.

INterea duces selectos quosdam è toto exercitu homines, quorum aliquando erga principem fides & benevolentia perspecta fuit, ad Cæsares mittunt, qui omnem rem gestam eis nunciarent. Id quod illi cum diligenter fecissent, cumque statim quasi diuiniore quodam afflatu cuncte per omnes oras sparsæ legiones de imperatoris morte audiuisent: eodem animo & consensione statuunt, se perinde atque adhuc sibi magnus imperator Constantinus viueret, neminem, præter eius filios Romani imperij principem agnituros. Ac non multo post, non iam eos Cæsares solum, verum etiam augustos omnes nūcupari volebant: quæ vox maximæ cuiusdam dignitatis plena, celsissimi imperij propria nota est. Hæcque omnium copiarum quocunque loco essent vna eademque consensio, vel ipso temporis momento ad omnium aures peruenerat: cum ipsi sua decreta & sententias vicissim secum per scripta communicarent.

Romæ quis luctus ob Constantini mortem, & statuarum honos ei post mortem tributus.

CAP. LXIX.

VT verò imperatorem vita functum esse senatus populusque Romanus, ac tota imperatoria ciuitas accepisset: cum hac fama nihil sibi grauius aut luctuosius accidere posse existimarent, nullum dolori & lamentationi modum statuebant. Nam balnea clausa & fora, publica item spectacula summotæ, & præterea omnia, quæ per vitæ otium & tranquillitatem facere solebat animus pacatus, & nulla perturbatione impeditus. Nam qui ante omnibus læticiis affluebant, nunc tristi & demisso vultu in publicum procedebant: &

omnes